

Hist. liter.  
V 87, 8.

Hist. liter. III. 117. 15



S O L E M N I A  
M A G I S T R O R V M  
PHILOSOPHIAE ET ARTIVM  
CREANDORVM INAVGVRANDORVMQVE  
IN DIEM PROXIMVM IOVIS

H. E.

D. I. MARTII

I N D I C I T

ATQVE AD EA CONCELEBRANDA

I N V I T A T

ORDINIS PHILOSOPHICI

D E C A N V S

D. C A R O L V S A N D R E A S B E L.

---

*De migrationibus Litterarum  
e causis politicis.*

SOLE M. A. D. I.  
M. A. G. I. S. T. R. O. R. V. M.

CHRISTOPHUS THOMASII  
IN ILLUM TROXIMUS IONIS

D. I. A. B. I. T. I.

ATQUE M. A. G. I. S. T. R. O. R. V. M.

ODD. I. S. T. R. O. R. V. M.

D. O. C. T. O. R. V. M.

IN ILLUM TROXIMUS IONIS

A. 1.



DE MIGRATIONIBVS LITTERARVM  
E CAUSIS POLITICIS.



gentium migrationes, quas plerumque minus proprio vocabulo adpellant, permultas, et in antiquo orbe accidisse, et maxime proximis a Christo nato Seculis, admirabili regnorum et populorum conuersione inde consecuta, institutas fuisse, sed eas neque recentiore aeuo penitus cessasse, norunt historiarum consulti. Verum has plurimorum Scriptorum diligentia abunde illustrauit; vtpote quae fallere spectantium oculos non facile potuerint, et quarum monumenta supersint longe grauissima; etsi in iis ipsis enarrandis ac iudicandis, non raro maiorem lucem desideres, praesertim si causas, praesidia, et exitus harum migrationum

rimari velis. Aliud tamen migrationum genus ostendit historia, non aequè in oculos incurrens, aut strepitu quodam edito ad se trahens innumeros; sed nescio an vtilius et dignius saepe numero, in quo contemplando subsistas, quam illos barbararum aut semibarbarum gentium errores, populantiumque et late vastantium agminum incursiones. *Transitus illos morum, legum, et litterarum inprimis, existimo, ab una gente ad aliam secedentium; illa velut doctrinae melioris et artium humanissimarum exilia, nouasque rursus patefactas et iisdem oblatas sedes, in terris longinquo aut aspero sub coelo iacentibus.* Talia litterarum fata, quae a prima earum origine, ad nostram propemodum aetatem, non pauca vidit orbis cultior, cum et paullatim, ac vix sentientibus nonnullis contigerint, et variis e fontibus fluxerint, iisque non obuiis semper atque vulgaribus, intendendum est sine dubio acumen ingenii, ad ea certius intelligenda.

Neque autem mihi propositum est, per singula migrationum eiusmodi exempla ire, quod esset amplioris libelli argumentum. Ac ne in illis quidem, quas attingere institui, omnes quae se offerunt causas memorabo, cum vel sic metuendum foret, ne copia obruatur definitus huius disputationis ambitus. Sunt etiam in his causis tam apertae, et tritae Scriptorum commentariis, vt in iis tanto minus morandum nobis videatur. Constat, vt hoc exemplo vtar, inter omnes, *quantum Christiana religio fugientibus et oberrantibus litteris profuerit; aut ipsorum Christianorum stultitia ad eas propellendas, atque patria sua eiiciendas, conferre coacta fuerit.* Nam cum eas, rerum potita in Imperio Romano, a gentibus ad suorum sacrorum cultores, velut agmine facto, transire iussisset, (quod singulari libro praeclare docuit liberalis doctrinae in Francogallia instau-

rator, *Gulielmus Budaens*, \*) dein versa in superstitionem religione et pietate omni, earundem litterarum vix tenues umbras, Episcoporum palatia, et Coenobia, susceperunt. Et tamen ipsa illa religio, quae cultui ingeniorum semper propitia fuisset, non passa est bonas litteras prorsus exulare; sed stirpe velut quadam illarum seruata, curauit, vt beatioribus postea Seculis, noua et laetior progenies edi ex illa potuerit. Verum, vt dixi, non has et his adfines causas migrantium litterarum indagare instituit; sed *politicas* tantum, hoc est, quae in ciuilibus gentium institutis, in consiliis principum ac legislatorum, in machinis imperio firmando comparatis, quaerendae sunt.

Quas vt lectores, vel me non monente, exquirere possint, iuuat, litterarum per orbem quasi itinera, et sedes saepius mutatas, breuibus hoc loco depingere. Prima illis patria *Chaldaea* fuit, atque adeo, cuius haec partem constituit, *regnum Babilonicum*; visaque est ipsa illa regio, doctrinae et sapientiae honoribus, vel naturali indole sua, in omnem aetatem fauere. Paulo post et in *Aegypto* confedere, tanta nominis gloria, vt numquam illic interiturae viderentur. Tum ad *Phoenices* delatae, artibus et commerciis eorum inferuierunt. Nec *Persae*, aut *Indi*, aut *Asiae minoris* populi, eas aspernati sunt. Sensim tamen omnium harum gentium ditioe excedentes, ad *Graecos* migrarunt, prae quibus illae iam longa nocte stuporis atque ignorantiae premendae essent. A Graecis iterum, aeuo Alexandri, ad *Asiaticas gentes* et *Aegyptios* translatae, tamen ne sic quidem diuturnum apud istos domicilium acceperunt. Porro ab iisdem Graecis non modo ad *Romanos* traductae sunt, sed etiam, vergente Christianorum temporum serie, ad *Arabes*.

A 3

Et

\*) *De transitu Hellenismi ad Christianismum*, Lutet. Paris. 1533. quaternis.

Et hos quidem, post aliquot Secula, velut ingratos, fere reliquere; ab illis diligentius cultae, imo et iisdem commendantibus ad *Germanicas gentes* transmissae, paullatim tamen, ab vtrisque negligentius habitae, iterum in longe sibi carissimam *Graeciam* profectae sunt. Tandem, ante hos trecentos et quod excurrit annos, comitibus denuo Graecis, ceteras *Europae gentes*, post multorum Seculorum absentiam, tam constanti amicitia bearunt, vt iam inde *Italis, Germanis, Francogallis, Anglosaxonibus*, aliisque nostri orbis populis, vnice adhaerere, deserta denique vel ipsa Graecia, videantur. Nihilo tamen fecius, sinistrae famae indicio, creditur, eas hoc ipso tempore noua exilia et migrationes, a nonnullis horum populorum, parare.

Videamus primum, cur illa hominum, regnorum, doctrinae, artium, legum, et religionum parens, *Asia*, florentissima olim cum fuerit ingeniorum et litterarum laude, ad tantam huius generis non modo paupertatem, sed etiam obscuritatem redacta sit vt iam frustra in ipsa Asia Asia quaeratur. Tralatitium est, nec satis aptum huic quaestioni enucleandae, quod vulgo traditur, tot bellis quassatam esse Asiam; tantis ferocissimarum gentium vastationibus obnoxiam fuisse; eas denique regnorum et populorum mutationes illic ortas esse, vt mirum videri non debeat, bonas litteras procul tandem ab his oris fugisse, et pacatiores ac mansuetiores petiisse. Quid enim? nonne totidem, ac fere pluribus bellis, summa atrocitate gestis, Europa concussa est? Politicas autem tanto numero conuersiones, tantoque sanguine patratas, vidit, vt vel propterea perpetuae barbariei vinculis constrictam nemo admiraretur. Superauit tamen has procellas omnes; etsi, maxima sui parte, nec terrae pulchritudine, comparanda sit Asiae. Ego vero, accurate pen-

sita.



fitatis omnibus, quae alienare Musas a Gentium Asiaticarum confortio potuerunt, nihil grauius et tristius reperio, quam illam huius orbis *Principum dominandi immensam libidinem*, nullis legibus coercendam, sola cupiditate, et impotentissimis animi motibus, regendam; verbo, eiusmodi, vt formidandi potius, et terribiles ciuibus suis videri velint, quam reuerentia et amore prosequendi.

Hanc generis humani stragem, quam neologice *Despotismum* appellamus, et natum esse sub oriente Sole, et ibidem, ad hunc vsque diem regnare, dubio caret. Fuit quidem nostra aetate, qui reprehensionem eius, qua parte Asiaticos Principes tangit, valde minuendam esse contenderet, *Perronius*, Francogallus, \*) clarus itineribus per Orientem susceptis, et monumentis ibi antiquissimae Persarum religionis, (sed frustra, nisi fallimur,) conquirendis. At ille profecto Aethiopem lauare adgressus est, cum ex eo, quod legibus non paucis, et apprime salutaribus, constringatur Monarcharum Asiaticorum potestas, patere arbitratur, non solam voluntatem, vel potius impetum et furorem quemdam, iisdem plerumque pro norma gubernationis haberi. Est enim hoc infitum tyrannicis ingeniis, vt, aequata fere potentia sua diuinae, non sibi, sed in exitium aliorum, leges scriptas putent, fere vt apud Poetam ille: *Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.* \*\*) Atque hoc confirmant quicumque his postremis Seculis aulas Asiaticas, et in vniuersum Orientales, (nam et Ottomanica nihil ab iis differt,) spectarunt, earumque imaginem scriptis expresserunt. Deus ibi quidam Princeps esse videtur, intra penetralia arcis suae conclusus, et vel illic pau-

\*) *Législation orientale*, par Mons. *Anquetil Duperron*, Amst. 1778. in 4.

\*\*) *Horat. Art. poet. v. 122.*

cissimis visus, aut concubinis, aut mancipiis, his quoque metuendus tantum vitae et necis eorum arbiter, subiectis autem gentibus atrocitate legum et poenarum potius cognitus, quam vultus comitate, aut beneficiorum magnitudine, libertati ingeniorum, scriptorum, imo et sermocinantium, inimicissimus; cum, quidquid in Imperio eius gerere aut moliri liceat, ad eius reuerentiam et potestatem vel augendam, vel ostentandam, componendum sit. Hos igitur tales Principes, ingenuis, et iugi omnis impatientibus litteris, perpetuum exilium indixisse, quis miretur?

Non est huius loci indagare, qui factum sit, vt in Asia potissimum, qua nihil natura finxit amoenius, truculenta ista regnandi forma exoriretur, et per tot Secula durauerit. Sed ne quis cauilletur, eam recentioris demum Asiae labem esse, non veteris illius, quae semper, nec Principibus prohibentibus, litteris amica fuerit, ablegabo eum ad antiquissimos illos Babyloniorum, Assyriorum, Medorum, Persarumque reges, qui mature tremendi istius imperii, et sentiendae potius, quam videndae dominationis fundamenta iecerunt. Vno defungar exemplo *Deiocis*, Medorum regis, qui, tradente *Herodoto*, \*) longinquo a se interuallo populum arcuit, vt adeo nemini ad se ingredi liceret, omnia per internuntios transigerentur, nec conspiceretur rex a quoquam; nec ridere, nec exspuere coram eo cuiquam fas esset. Haec autem ille propterea instituerat, ne, cum cerentes aequales, et vna cum eo educati, et ex domo orti non viliores, *neque virtute ac beneficentia inferiores, dolerent, atque insidiarentur; sed quidam diuersus, et alienus ipsis videretur non intuentibus.* Profecto Sultanum aliquem aut Shahum nostri aevi videre tibi videaris, cum in haec incidas.

E

\*) *Herodotus* Hist. L. I. c. 99.

È contrario, qui inter omnes Orientales Principes vnus longissime ab infinita illa et arbitraria imperandi potestate abest, et patriae velut gubernatoris exemplar feruat, *Sinensium* Imperator, gentem habet sibi parentem, ex Asiaticis cultissimam, litterarum et artium per viginti et plura Secula perquam studiosam, et quae admirandos sine dubio in iis progressus factura erat, nisi falsae quaedam sententiae intra mediocritatem in plerisque cohibuissent.

Sed nec illa ab Asiaticis gentibus toto coelo diuersa *Aegyptus*, immoderatam in Principibus suis regnandi licentiam experta est. Vel sic tamen Musas, alia hospitia quae- rentes, retrahere non potuit. Non mihi de illis Seculis sermo coeptus est, quibus post Christum natum patuit Arabum armis atque victoriis, hinc aliis gentibus, solo gladio virtutem et gloriam metientibus. Veterem illam dico Aegyptum, in qua leges optimae, litterae et artes paene omnes natae videbantur ceteris populis. Eam enim, aio, cum reuera plurimas apud se doctrinae et inuentorum partes ortas spectasset, minus tamen felicem in iis alendis, firmandis, locupletandisque fuisse, iisque sensim migrandi facultatem ad Graecos concessisse; atque id euenisse existimo propter politica gentis instituta.

Ex his primum est, quod *Aegyptii omnes*, auctore, quod traditur, *Sesostri*, \*) in certas classes, hoc est vitae et negotiorum genera, *tributi* essent, quae perpetuae et immutabilis normae vicem praestarent. Eas classes septem fuisse, *Herodotus*, \*\*) qui Aegyptum ipse adiit, testatur.

Non

\*) *Aristoteles* Polit. L. VII. c. 10. *Dicaearchus* apud Scholiastem Apollonii Rhodii L. IV. v. 127.

\*\*) *Historiar.* L. II. c. 163.

**B**

Non licebat Aegyptiis ei vitae generi se dicare, quod maxime arrideret, sed quod pater, et longo ordine proavifecuti essent, ut adeo hereditate quadam ad singulos, vel militiae, vel agriculturae, vel religionis et litterarum studia, pervenirent. Erat etiam legibus cautum, ut poenae subeundae essent illis, quicumque haec instituta migrare audent \*). Verum illis vix quidquam fingi molestius, et magis noxium bonis litteris, potuisset.

Frustra sunt, qui in defendenda et laudanda hac gentis conformatione civili operam posuerunt. Nam quod adferunt, amorem paternarum artium hoc modo mature instillatum, imo inflammatum fuisse; iuvenesque, atque adeo pueros, in iis, quae sibi, legum auctoritate iubente, per omnem vitam tractanda essent, tanto citius suaviusque exercitatos fuisse, omnia facilius arripuisse, cum in media familia, exemplo patris quotidie ante oculos versante, discerent, quam si a peregrinis ea hominibus discenda fuissent; potuisse quemlibet maiorem inventis sua tanto certius addere, atque hoc pacto perfectam artis et disciplinae suae imaginem celerius attingere; denique, oppressam ita fuisse ambitionem hominum cupiditatem, quae semper ad maiora et sublimiora feratur, cum singuli sua sorte contenti viverent, eamque ita amarent, ut vel lautissimis conditionibus anteponerent. Haec tamen omnia et speciosa potius sunt, quam vera; et ingenio humano prorsus repugnant.

Quem enim fugit, innumeros a paternis institutis tantopere abhorrere, ut alia omnia, quam haec ipsa adoptare velint; non votis, non precibus, non lacrymis parentum eo adigi posse, ut vestigia ipsorum premant? Legum autem  
aut

\*) Plato in Timaeo, p. 1044. (Francof. 1602. fol.) Isocrates in Busiride, p. 328. Diodorus Sic. Bibl. hist. L. I. c. 74.

aut poenarum sanctionibus, quis credat amorem artis cuiuscunque instillari posse, ad quam te amplectendam non naturalis quaedam propensio, et virium sensus vocet? Multis e contrario incommodis et noxis, rempublicam obruturis, viam ita patefactam esse, non difficulter doceri potest. Sublata est illa tam laudabilis et necessaria inter ciues aemulatio, qua nisi animentur, non curabunt profecto, vt alter prae altero excellat; animabuntur vero numquam, si liberi arbitrii potestas, in deligendo vitae genere, adempta iis fuerit. Accedit, quod praestantissima ingenia, cum saepius erepta hoc modo iis artibus et occupationibus fuerint, in quibus vnice eminere potuissent, ad ea traducta sunt, in quibus colendis ne mediocritatem quidem eis adsequi licuit. Obseruarunt etiam viri acuti, eas gentes, quae certis familiis possessionem quasi artium et disciplinarum assignarunt, incautas in aliud vitium incurrisse. Minuerunt enim vel inuiti iustum et necessarium eorum numerum, qui in variam reipublicae operam praestandam animi corporisque nervos intendunt. Fac eos, quibus hereditario iure agricultura cessit, morbis aut casibus quibusdam, quales mille gignit vita humana, ad paucitatem redigi, pars agrorum iacebit inculta, cum nemini ex aliis familiis orto ad eos accedere liceat. Pari fato et litterarum studia, et militia, et artes manuariae vrgebuntur, si eorum, quibus irreuocabili lege, velut in patrimonium traditae sunt, copia defecerit. Itaque, si nullum aliud delictum exstaret legislatorum Aegypti, quorum tantopere celebrata est Sapiencia, hoc vno statuendo pessime de meliore doctrina meruissent.

Iidem tamen aliis quoque ciuilibus institutis in litterarum commoda peccasse videntur. Quamuis enim honori

earundem maximopere fauerent, cum eas proximo a rege gradu apud *Sacerdotes* consistere vellent; tamen hoc ipso effecerunt, vt ab iis solis, qui sacra curarent, et placita sua de diis exponerent, non modo coleretur doctrina, et reliquis ciuibus traderetur, sed etiam *arcanae sapientiae*, (quam et nostro aeuo aliquis, *Philosophiae occultae* nomine, recouere ausus est,) et *mysteriorum loco* ab ipsis haberetur, ad quae cognoscenda vix quisquam, nisi molestissimae initiationis ritibus fatigatus, admittendus esset. Cum ergo per leges ipsas liceret, rem omnium maxime publicam et publicandam, eruditionis cuiuslibet thesauros abscondere, et ab oculis plerorumque ciuium remouere, mirum videri non potest, eos sensim a gente, quae maxime illis diues habebatur, amissos esse.

Iam *artifices* omnis generis, *Legislatores Aegyptii* in *postrema et vilissima classe ciuium locauerant*, quod ex locis Scriptorum supra laudatis patet. Inconsulto certe iudicio, sed et noxio. Cum enim pictores, statuarii, architecti, et his similes artifices, quorum summa est cum litteris humanissimis, atque ingenio amoenissimo, inuentorum et operum adfinitas, ad infimam plebis sortem detruderentur, nec maior illis, quam manuariis operis fordidi quaestus, dignitas tribueretur: magnos animos, et sublimes spiritus in perpolianda arte, capere non poterant. Hinc mole quidem ingenti, et perenni stabilitate ac soliditate operum suorum, ex regum voluntate perfectorum, numquam elegantia et pulchritudine eorum singulari, eminuerunt. \*)

Etiam

\*) Est in *Archaeologia*, or miscellaneous Tracts, relating to Antiquity, London 1777. Vol. IVto, p. 212—311. Woodwardi cuiusdam, de ista veterum Aegyptiorum sapientia, quam ille vehementer deprimit, docta et elegans commentatio.

Etiam hoc tandem in politicis naeuis veteris Aegypti, quos malo suo litterae fenferunt, numerauerim, quod a gentium exterarum consortio, per multa Secula, abhorruerint Aegyptii, non modo religione eorum hoc suadente, nam istud docet *Herodotus*, \*) sed, quod eidem, et aliis post eum Scriptoribus \*\*) debemus, ex rationibus etiam politicis. Nihil enim reges Aegyptiorum vmquam in moribus atque institutis gentis suae mutari volebant, non peregrinas consuetudines recipi, omnia semper ad priscam rationem exigere, ne forte, mutatis nonnullis in norma sentiendi et viuendi, ipsa paulatim gubernandorum et continendorum in officio ciuium forma periret. In quo vtrum metuendi causam veram habuerint, non attinet hoc loco disquirere. Illud in aprico est, hanc cautionem atque sollicitudinem, progressus litterarum et artium apud Aegyptios vehementer remoratum esse. Quidquid enim peregrinum in his esset, si vel maxime egregium atque excellens, aditu ad ipsos hoc solo nomine prohibebatur. Ita cum tenacissimi antiqui ritus et primaeuae sapientiae essent, accidit, vt haec non longe ultra elementa progredere, sensimque ad liberiores sedes proficisceretur, in quibus bona ingeniorum non modo domestica, sed ex omnibus omnino gentibus collecta, nouis quotidie accessionibus ditarentur.

Hoc cum a *Graecis* laudatissimo studio factum esse nemo nesciat; tamen et inter hos fuere *respublicae*, quae bonas litteras, et artes elegantiores, politico consilio, nolent penitus intra tecla sua suscipi, sed rarius tantum eis quasi diuersorium largirentur, eoque ipso repudiarent. Princeps in his *Sparta* fuit, *Lycurgi* legibus stabilita non minus, quam

B 3

no-

\*) *Histor.* L. II. c. 41.\*\*) *Ibid.* l. l. *Plato* de Legibus L. II. p. 789. L. VII. p. 886. *Diodor.* Sic. Biblioth. hist. L. I. c. 74.

nobilitata. Qui cum gentem suam, militari animo, vita et laude, omnes ceteras graecas longissime post se relinquere vellet, condidit ille quidem decreta haecenus sapientissima, ut primario huic consilio eius plane responderent; ceterum literis prorsus inimica: his enim Martios animos frangi ac debilitari ratus, praesertim cum perpetuam illam ac severam corporis exercendi disciplinam vel impedire, vel tollere viderentur, exesse eas, nisi expressis verbis, at certe re ipsa, iussit. Etsi enim primus inter Graecos vulgaret carmina Homeri, quorum fama tantum quaedam et fragmenta leuiores adhuc ex Asia minore ad eos peruenerant; \*) tamen in his commendandis, magis bellicae virtutis, amoris in patriam, et ciuilem concordiae, quam praedicant, exemplum spectauit, quam poeticae artis suauitatem. Certe, neque amoenioris et ingeniosa industria elaboratae eloquentiae usum concessit suis; nec fabulas et spectacula agi apud eos voluit; et introductis legibus suis, ad alendam fortitudinem vnice comparatis, nullum vel his, vel ipsius doctrinae liberalis partibus, locum relinquere poterat \*\*). Cauendum enim ei magnopere videbatur, ne molles et remissi ad belli munera fierent Lacedaemonii, cum praeter corporis viribus acuendis, quod media in pace quam diligentissime agebant, ad vires mentis et ingenii multo maiore studio excolendas incumberent. Sed in eo errasse virum praeclarum, si nullo documento constaret, vel vnico illo Atheniensium intelligi posset, qui summam elegantissimae doctrinae et artium omnium laudem, cum pari militaris virtutis gloria feliciter copularunt.

Ve-

\*) *Plutarchus* in *Lycurgo* p. 41. *Opp.* T. I.

\*\*\*) *Idem* l. c. p. 53. alique, qui de legibus *Lycurgi* tradiderunt.



Verum in Lycurgo, atque in vniuersum in his veteris aevi monumentis, desinamus. Praesto quidem sunt ex recentiorum quoque Seculorum et populorum memoria, exempla non pauca, neque obscura, his, quae attulimus, valde similia, e quibus pateat, politica instituta et consilia quam saepissime litteris exilium indixisse. Ita, vt hoc vnico in transcurso vtar, *Theodoricus* ille, Ostrogothorum rex, Italiae victor, bellis, potentia, et regnandi prudentia clarissimus, etsi Romanos, quos sibi subiecerat, a litteris colendis minime arceret, tamen *Gothos* suos operam iis impendere noluit, quod putaret, *numquam eos, qui virgam ludimagistri extimuisent, gladios hostium imperterrito animo spectaturos esse.* \*) Sed iam in his, et aliis ex hoc genere exemplis eruendis versari, fines libello huic propositi non permittunt. Celebranda est potius temporum, et maxime terrarum nostrarum felicitas, in quibus Principum leges et consilia sint litteris et artibus optimis amicissima. Cuius rei vel huius diei Solennia testimonium perhibent illustre, quibus indicendis haec scripsimus. Sunt nimirum praemia doctrinae et virtutis tribuenda Iuuenibus, aemulationi Commilitonum excitandae profutura. Sunt istorum haec nomina:

IOHANNES CHRISTIANVS TRITZSCHLER  
CHEMNITIENSIS.

CAROLVS GVILIELMVS GOLDAMMER  
LIPSIENSIS.

GODOFREDVS NICOLAVS KVHL  
BAALSDORFIO MISN.

IO.

\*) *Procopius*, de bello Gothico L. I. c. 2.

IOHANNES AVGVSTVS DOERING  
GATTERSTADIO THVR.

IOHANNES CHRISTOPHORVS QVARCHÉ  
KITZENA MERSEBVRG.

CAROLVS AVGVSTVS KÛHN  
LIEMEHNA MISN.

FRIDERICVS WILHELMVS DOERING  
ELSTERBERGA VARISCVS.

FRIDERICVS HENRICVS STARKE  
LVPPA MISNICVS.

CAROLVS GOTTLOB TERNE  
ROITSCHA SAXO.

ADOLFVS WENCESLAVS SCHMIDT  
KOZENIZA POLONVS.

In his duo primi, iam anno proxime praeterito, Diploma-  
te e valuis publicis proposito, ornati sunt honoribus no-  
stris, nunc demum publice renunciandi; reliqui, ipsis Ka-  
lendis Martii, hora X. in Auditorio nostro, more atque in-  
stituto Maiorum, creabuntur Philosophiae et Artium Ma-  
gistri, atque inaugurabuntur. Quam diei solennitatem, vt  
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, *Illustriissimi Comites, Vr-  
bis et Academiae Proceres*, Commilitones item Generosissi-  
mi atque Nobilissimi, praesentia sua cohonestare velint,  
meo, meique Ordinis nomine, vehementer rogo.

P.P. in Vniuersitate studiorum Lipsiensi, Domin. Esto mihi  
A. p. C. n. cııııccclxxxi.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L O E P E R I A .



